

PROGRAMMA

DE

**HÆMORRHAGIIS
MESENTERII CULPA
INGRAVESCENTIBUS,**

Quo

Ad Disputationem Inauguralem
VIRI PRÆNOBILISSIMI AC EXPERIENTISSIMI,

JOH. GOTHOFREDI

Sonnenfals,

DE

**FEBRIBUS MESEN-
TERICIS,**

IN AUDITORIO MAJORI

Die XXIX. Maji Anni MDCCXXVII. Habendam,
SUO & FACULTATIS MEDICÆ NOMINE

Magnif. DN. RECTOREM, Illustris Regiminis
Dnos Consiliarios, Patres conscriptos utriusque Se-
natus, Universos & Singulos Academicæ Cives,
ac Literarum Fautores,
officiose & peramanter invitat


CHRISTOPH. MART. BURCHARDUS,

Pathol. spec. Med. Doct. & P. P. O. & ad hunc Actum Decanus.

ROSTOCHII,

pis IO. IAC. JADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

mob. huc 1430



*M*esenterium, cum annexis Ventriculo ac Intestinis, plurimorum morborum fecundam matrem existere, ita notum est ac expertum, ut etiam multi, *Medinae* ignari, id advertant, & propterea persuasum velint, Omnes omnino morbos ex ventriculo ducere originem. Quod quamvis inane commentum sit, cum quaelibet pars suos peculiare morbos habeat, à texture sua, aut officio pendentes, & præterea multi eorum à causis manifestis, externis, violentis, contagiosis, aut epidemicis pendeant; negarè tamen forte nequit, quarundam saltem corporis partium morbos à Mesenterio, tanquam causa continente, foveri, aut sepe mechanice quasi produci, ita ut nisi ad illud, aut ipsius contenta, advertamus, & vitia ipsius removeamus, frustra necessario oppugnetur morbus, etiamsi alias expertis, ac toties probatis, eum aggrediamur. De Asthmate Hypochondriaco, Hysterico, id notum; imo plerosque convulsivos affectus, & ipsam puerorum Epilepsiam, Mesenterio deberi, nullum est dubium; quamvis nonnunquam in Habitum degenerent Affectus Spasmodici, ut etiam remota causa materiali, postmodum Natura à prava consuetudine abduci se non facile patiat. Non permittit equidem præsens institutum pluribus exemplis id confirmare, sed quedam tantummodo de Hemorrhagiis, cum Uterinis, tum Hemorrhoidalibus, afferamus, quas Mesenterii culpa contigisse, vel certe graviores redditas, aut diutius protractas, ex documentis ac circumstantiis, quæ morbum Comitatae sunt, cuilibet constare poterit.

Quaedam Materfamilias quotannis semel, aut bis, Hemorrhagiam Uteri contrahit, non equidem semper copia sua, sed diuturnitate plerumque molestam, & ad 6. 8. aut 10. hebdomades perseverantem, cum summis lumborum cruciatibus, quales parturientium esse solent;

nes

nec sponte cessat malum, nisi medicam tandem opem efflagitet. Nihil autem hic V. S. in superioribus instituta, nihil consveta alias & experta remedia, vel interna, vel externa, ἰσχυρα Medicis dicta, praesidii afferunt, non enim vel in utero, vel in sanguine tenui acri, fermentante, sive ebulliente, causa morbi latet; sed in ipsis Intestinis, ob naturalem alvi segnitiam, qua egrota laborat, nimium repletis, & distentis, ac uteri vasa comprimentibus, ita ut influere quidem latex arteriosus, ob impetum suum, quo gaudet, versus Uterum, non autem commode rursus per venas redire possit. Notissimum enim, Vasa sic dicta Spermatica Intestino Colo succumbere, utpote quae ex Emulgentibus aut ipsa Vena Cava originem ducunt. Exinde quoque tensivus iste ac spasmodicus circa lumbos dolor, & propterea quoque, non aequè profusum uterū illud profluvium, sed perpetuum potius, vires tamen corporis insigniter depascens, stillicidium. Ostendunt vero id etiam juvantia; nam Sal Ebsoniense dictum statim Hemorrhagiam in hac egrota compescit; non tamen, prima vicè exhibitum, penitus tollit, quoniam impossibile est, ut istam fecum induratarum copiam ac molem, quae in Colo hujus egrotae continetur, uno impetu exturbet. Accedit naturalis alvi segnitias, quae in causa est, ut sequenti statim die malum recrudescat, in totum inducias non concedens, priusquam dolor in dorso cesset; hoc est, postquam sufficienter feces partim Clisteribus, partim evacuantibus, ac lubricantibus oleosis sunt exturbatae; id quod rarissime in ista infra octidui spatium obtinetur. Postea ad consvetas leges & menstruas vicissitudines uterinus fluxus redit, nec ab iis recedit, nisi forte ob Excrementorum copiam, & neglectum alvi negotium, rursus revocetur praedictum malum, aut ex impregnatione in totum supprimatur. Sed cum nltima vice utero concepisset, partui vicina, ex diuturnis alvi obstructionibus, Hemorrhagiam uterinam, cum consuetis lumborum doloribus, denuo experitur, quam, sub initium lenius succedentem, negligit; Ast tandem acrius instat profluvium, nullis remediis coercendum, & quoniam intestina a copiosis ac induratis scybalis tam cito expediri non poterant, foetus, obstructum vitalem laticem mortuus, matri exitium intulisset, nisi obstetricia manu repagulis referatis, uterus à sarcina sua fuisset liberatus.

Quemadmodum autem haec femina, ex alvinis Scybalis, ad Hemorrhagias uteri prona existit, & post ultimum puerperium denuo hoc malum passa est, sic simile quid observavimus circa Hemorrhoidum flu-

um in viro, ad quinquagesimum aetatis annum accedente. Experitur iste hoc profluvium plerumque quovis menstruo tempore, satis benignum, nullisque molestiis, quae Haemorrhoides vel comitari vel praecedere in quibusdam solent, stipatum. Alvi quoque officium satis expeditum est, nisi quod tunc temporis, cum haemorrhoides fluunt, paulo difficilius succedat; sine dubio, quod ipsa Haemorrhoidum internarum intumescencia fecum exclusionem difficiliorem reddit, aut in totum nonnunquam, per unum aut alterum, diem, remoratur. Sed uti Haemorrhoidum intumescencia fecum exclusionem interdum impedit, sic postmodum ipsae feces retentae, & Venam Haemorrhoidalem comprimentes, refluxum sanguinis versus Venam Portae remorantur, adeoque Haemorrhoidalem fluxum vel augent, vel protrahunt. Certe quo difficilius alvus officio suo respondet, eo largius, sanguinem fundunt venae, aut magis diuturnum redditur illud profluvium: ante paucos annos namque, hyemali tempore, ad bimestre spatium illud perseveravit, & post quatuordecim dierum inducias, recrudescens, novem integris hebdomadibus molestum se praebuit, ita ut quotidie aliqua sanguinis sinceri copia excluderetur, sine ulla tamen virium debilitate, nisi quod frigoris aliqua perceptio tandem in pedibus, ad genua usque se extendens, consequeretur. Magis vero molestum, ac terrificum rededitur malum, cum in magna copia, & continuato impetu, profunditur vitalis liquor: nam ab hora pomeridiana secunda, ad undecimam nocturnam, perpetuo & copioso stillicidio perseverantem, & perfernoralia largiter profluentem, in eodem subjecto, observavimus cruentam hanc excretionem, somno tandem & quieto decubito consopitam. Itaque cum nihil quondam atrociam mali leniret, nunc tamen expeditum ad manus est remedium, quod incantamenti instar illud sistit, Sal puto Ebsoniense. Hoc enim si vel mali vehementia, vel diuturnitatis molestia illud postulat, sive matutino, sive vespertino tempore assumptum, intra horae momentum, largissimam alvi evacuationem excitat, sine ulteriori haemorrhoidalis profusii indicio.

Ex his ergo constare potest, fecum copiam, vel impeditam earum excretionem, Haemorrhagiis Uterinis, ac Haemorrhoidalibus, ansam nonnunquam praebere, adeoque, quando consueta, ac experta alia remedia in nimio fluxu nil opis afferunt, statim ad Evacuantia, imprimis ad Sal praedictum confugere licere, quemadmodum id postmodum, etiam in aliis personis, jam aliquoties sumus experti. Praeterea ex his apparet, in corpore humano functiones partium solidarum, quemadmo-

quemadmodum pendent ex Legibus Mechanismi, siue Organismi, sic quando Mechanismus ille laesus est, necessario laedi partis functionem, & quidem tam diu, donec ipsa pars ad naturalem conformationem reducatur. Non autem Ars tantummodo hic multum valet, imprimis in externis partium lesionibus, sed ipsa quoque Natura, Arte plerumque superior, mira interdum praestat in internis partium vitiis corrigendis, quemadmodum id ex sequenti exemplo, quod ob argumenti affinitatem in medium asserre placuit, plenius constabit. Vir ad summam senectutem alacris semper ac vegetus, & cum Celso nullis Diateticis Legibus se adstringens, tandem circa aetatis annum LXXIVtum fluxu alvino corripitur, quem quoniam olim toties salutarem erat expertus, patienter fert. & Naturae negotium relinquit. Sed quoniam praesens malum ad binos menses perseverat, cum torminibus, ac virium destructione; ac tandem frigorifica perceptio pedum, eorumque intumescencia Oedematosa accederet, Medicorum efflagitat consilia. Itaque cum experta alias in hoc malo remedia, quamvis mitigarent fluxum, non tamen in ordinem redigerent, facile apparuit, naturam huius profluvii à vulgari Diarrrhaea penitus esse diversam, id quod etiam penitior excretorum exploratio comprobavit: Mox enim lacteus liquor, per vices etiam loturae carniis similis, excernebatur, cui cruoris aliquid coagulati innatabat. Interdum nihil humoris aderat, sed iustae consistentiae excrementa, paulum tamen cruenta, excludebantur. Sed haec ultima praevios semper habebant acerbissimos dolores Colicos, nullis Artis praesidiis debellandos, antequam vel sponte, vel Clisterum ope, secum solidarum exclusio esset promota. Mox etiam constitit, unde dolores Colici, & cur tanta eorum pertinacia: Excernitur namque caruncula Striata ad formam ac magnitudinem Castaneae accedens, ut adjecta figura ostendit.



3

Hac

Hæc ipsa circa basin (A.) quæ connexionem cum Intestino habuerat, lacera ac cruenta, in apice (B.) ac reliquo corpore, naturalem carneum colorem præferebat. Tota compages ex fibris, aut potius tubulis, striatim sibi accumbentibus, & à basi versus apicem excurrentibus constabat, ut propterea credibile sit, fuisse eam ex glandulis lenticularibus Intestini Coli, ob diurnam Diarrheam, & humorum continuam alluviem, ita maceratam, ut laxato tubulorum tono, ad præternaturalem istam magnitudinem excreverit. Itaque cum hæc caruncula, canalem Intestini, si non penitus occuparet, valde tamen impeditum redderet, non potuit sane transitus scybalorum fieri, sine summis cruciatibus, nec etiam sine cruentatione, donec tandem superatis his angustiis, feces expeditum magis iter ad exclusionem essent nactæ. Non autem hæc sola caruncula tragediam istam excitavit; nec post eius expulsionem omnia fuere pacata, sed eadem adhuc per sesquimensem acta est fabula; & quamvis tales carunculae, non amplius observatae, aut forte à domesticis neglectæ sint, ramenta tamen earum, sive per tabum dissolutæ fibræ, aut tubuli, frequentes occurrebant, humorè cruento innatantes; ut propterea plures in Colo adfuisse glandulas tumefactas, doloris Colici, per vices recurrentis, & cruentæ excretionis causas, manifesto constare possit. Cum autem hisce malis Chirurgica manu mederi non liceret, soli Naturæ committendum erat negotium, quæ etiam Vulnerrariis, Balsamicis, Lubricantibus, & Analepticis, imprimis Balsamo Sulphuris Amygdalato, Decocto ad Calculum Foresti, & Gelatina C. C. adjuncta, feliciter excoriata Intestina, in senili quamvis corpore, consolidavit, ita ut nihil cruenti amplius excluderetur, & cruciatus illi immanes penitus cessarent. Supererant tamen lenia tormina, eaque fere perpetua, quæ quamvis lecto corpus non addicerent, inquietas tamen reddebant noctes, & impedimento erant, ne officiis, quibus præerat Gravissimis Publicis, consveta animi alacritate vacare posset. Postquam ergo varia per duos adhuc menses incassum adhibita essent remedia, Essentia tandem Succini, statim, postquam in usum vocata est, ab omnibus doloribus immunem eum reddidit, (*) ita, ut quamvis per vices recurreret Cæliacus fluxus, nihilominus quoniam appetitu probe valebat, pristina alacritas, & pedum quoque rediret vigor, tumore Oedematoso penitus disparente.

(*) Confirmat hæc Observatio Aphorismum Cel. Baglivi Prax. Lib. I. Cap. IX. §. de Colica. In Colica, inquit, irritis aliis, Tinct. Succini & præsentem morbum sanat, & præcavet à futuro.

rente. Forte ergo omnes morbi, quos Mesenterium, vel tanquam sub-
jectum, vel tanquam causa immediata, sustinet ac fovet, nondum nobis
cogniti ac explorati, aut non satis accurate nobis descripti sunt, quod
cum circa Febres Mesentericas itidem monendum veniat, de istis qua-
dam commentari in Dissertatione sua Inaugurali placuit Prænobilissimo,
ac Experientissimo Dno. CANDIDATO, de cujus Natalibus ac Vita cur-
riculo quedam pro recepto more dicere nunc aggredimur.

Natus autem est Noster

JOHANNES GOTHOFREDUS

Sonnenkalb,

Anno M DC LXXXIV. Die XXVII. Febr. Nauemburgi in Misnia,
in qua urbe Pater ipsius PETRUS Sonnenkalb, Archi-
tecti quondam officio functus est. Post cujus tamen præmaturam mor-
tem in familiam ac educationem concessit Patru sui, Celebris ibidem
Chirurgi, cujus paternum amorem, ut grato adhuc animo deprædicat,
sic duplex sub ipsius tutela expertus est commodum. Cum enim natu-
rali quodam instinctu suam diligentiam Medicinæ addicere gestiret,
non solum Autor fuit, ut in Gymnasio, quod illic floret, elegantioribus li-
teris animum imbueret, sed etiam uberrimam occasionem subministravit,
ut Chirurgiam, sinè qua Medicina manca plane est, ab ipsa quasi pueritia
addisceret, & manus mature operi applicaret. Sic preparatus, Anno
M DC XCIX. Lipsiensem Academiam adiit, & Viros longe lateque Cele-
berrimos, BOHNIUM, RIVINUM, LANGIUM, Præceptores sibi e-
legit. Nec destitit in Chirurgicis porro animum excolere, nam
etiam illic consanguineum repperit, hanc Artem cum dexteritate exer-
centem. Transactò sic Triennio, Jenensem Academiam invisit, & post
annuam moram, salutavit Musas Halenses. Ast cum tunc temporis acris
illud bellum inter Imperatorem, & Gallie Regem glisceret, & late per
varias Europe regiones se diffunderet, mutato subito consilio, arma sequi,
animum induxit, cum nullibi, quam in castris, uberius copia obveniat,
Theoretica Academiarum Studia statim sub examen vocare, & non
tantum istam Medicinam, quæ manu medetur, sed etiam alteram, quæ me-
dicamentis utitur, deducere in actum, tot millenis saepe decumbentibus, ut
multorum manus iis sublevandis non sufficiant. Neque hoc consilium fe-
licè

lici caruit eventu, nam brevi ita inclarus Noster, ut Illustris Comes de
KÖNIGSECK Chirurgi castrensis officium ipsi offerret, & Legionem suam
ipsi concederet. Quinque annis huic muneri vacavit, & in Bavaria, Ita-
lia, Hungaria, innumera documenta edidit suae dexteritatis, quibus quo-
que effectum, ut Serenissimi & Gloriosae Memoriae Principis Gvelf-
ferbytani, ANTONII ULRICI, gratiam sibi conciliaret, qui etiam
illum Ao. MDCCVIII. praemiis & pollicitationibus ad se vocatum, Le-
gioni Primariae, quam in corporis sui custodiam alebat, praefecit. Ast
Anno MDCCXI. ut sui magis juris esset, Hamburgum abiens, ibidem
fixit domicilium. In quo amplissimo Emporio virtus ipsius non diu latuit:
nam non solum magnum Clientum ac Patronorum numerum, sed etiam,
Medicorum quorundam illic degentium amicitiam sibi conciliavit, quorum
etiam suavis ac precibus adductus, Doctoris Titulum ac Honores, jam
diu promeritos, nunquam tandem comparare aggreditur, conscripta cum in
finem Dissertatione, de Febribus Mesentericis, Inaugurali, cui publice
Ventilanda, cum Dies XXIX. May, destinatus sit, Magnificum
DN. RECTOREM, Illustris Regiminis ac Utri-
usque Senatus Proceres, Dnos Doctores, Licen-
tios, Verbi Divini Ministros, Liberalium Ar-
tium Magistros, & Generosam ac Nobilissi-
mam Studiosorum Juventutem,

ut frequentes adesse velint

Officiose ac humaniter invito

P. P. Die XXV. Maji Anni

CIO DCC XXVII.

